

silicam, non solum quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem daemonibus sanabantur, verum etiam quidam plures annos caecus civis, civitatisque notissimus, cum populi tumultuantis laetitiae causam quaesivisset, atque audisset, exsilivit, eoque se ut duceret, suum ducem rogavit. Quo perductus impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum pretiosae in conspectu tuo mortis sanctorum tuorum. Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confestim aperti sunt. Inde fama discurrens, inde laudes tuae ferventer lucentes, inde illius inimicae animus, etsi ad credendi sanitatem non applicitus, a persequendi tamen furore compressus est. Gratias tibi, Deus meus! Unde, et quo duxisti recordationem meam, ut haec etiam confiterer tibi, quae magna oblitus praeterieram? Et tamen tunc, cum ita fragraret odor unguentorum tuorum, non currebamus post te, et ideo plus flebam inter cantica hymnorum tuorum, olim suspirans tibi, et tandem respirans, quantum patet aura in domo foenea.

CAP. VIII. EVODII CONVERSIO.

Qui habitare facis unanimes in domo, consociasti nobis et Evodium, juvenem ex nostro municipio. Qui cum agens in rebus militaret, prior nobis ad te conversus est, et baptizatus: et, relicta militia seculari, accinctus est in tua. Simul eramus, simul habitabamus in placito sancto. Quaerebamus, quisnam locus nos utilius haberet, servientes tibi, pariter remeabamus in Africam. Et cum apud ostia Tiberina essemus, mater defuncta est. Multa praetereo, quia multum festino. Accipe confessiones meas, et gratiarum actiones, Deus meus, de rebus innumerabilibus etiam in silentio. Sed non praeteribo, quicquid mihi anima parturit de illa famula tua, quae me parturivit, et carne, ut in hanc temporalem, et corde, ut in aeternam lucem renascerer. Non ejus, sed tua dicam dona in ea. Neque enim se ipsam fecerat, aut educaverat se ipsam. Tu creasti eam, nec pater, nec mater